

I.ii

**STRATIPPOCLES** Rem tibi sum elocutus omnem, Chaeribule, atque admodum  
meorum maerorum atque amorum summam edictavi  
tibi. 105

**CHAERIBVLVS** Praeter aetatem et virtutem stultus es, Stratippocles.  
idne pudet te, quia captivam genere prognatam bono  
de praeda es mercatus? quis erit, vitio qui id vortat tibi?

**STR.** Qui invident omnes inimicos mi illoc facto repperi;  
at pudicitiae eius numquam nec vim nec vitium  
attuli. 110

**CHAER.** Iam istoc probior [es] meo quidem animo, cum in amore temperes.

**STR.** Nihil agit qui diffidentem verbis solatur suis;  
is est amicus, qui in re dubia re iuvat, ubi rest opus.

**CHAER.** Quid tibi me vis facere? **STR.** Argenti dare quadraginta minas,  
quod danistae detur, unde ego illud sumpsi faenore. 115

**CHAER.** Si hercle haberem \*\*\* **STR.** Nam quid te igitur retulit  
beneficum esse oratione, si ad rem auxilium emortuom est?

**CHAER.** Quin edepol egomet clamore differor, difflagitor.

**STR.** Malim istius modi mihi amicos furno mersos quam foro.  
sed operam Epidici nunc me emere pretio pretioso  
velim. 120

quem quidem ego hominem irrigatum plagis pistori dabo,  
nisi hodie prius comparassit mihi quadraginta minas,  
quam argenti fuero elocutus ei postremam syllabam.

**EP.** Salva res est: bene promittit, spero servabit fidem.  
sine meo sumptu paratae iam sunt scapulis symbolae. 125  
aggrediar hominem. advenientem peregre erum suom Stratippoclem  
impertit salute servos Epidicus. **STR.** Vbi is est? **EP.** Adest.